

no, qui itidem indistincte docent, existentem in memorato spatio quadraginta vel triginta passuum gaudere asylo, sive dein ab extra illuc confugiat, sive ab ecclesia ad illud progrediatur. Accedit, quod ut jam dictum, non major, vel diversa, sed eadem ratio de uno ac de altero, consequenter eadem sit juris dispositio, ut proin audiendus in contrarium non sit Haunoldus, loc. cit.

36. *Solvitur instantia.* — Ad can. *Definit.* 35, cau. 17, q. 4, respondetur, per illum probari quidem, quod progredientes ab ecclesia intra spatium quadraginta vel triginta passuum gaudeant asylo; non item, probari quod illi tantum gaudeant; cum similis dicti exclusio ibi non habeatur; consequenter per dictum canonem non revocetur can. *Sicut antiquitus.* Universaliter quisvis in tali spatio existenti « Asylum præbens. »

37. *Non existit contra hoc consuetudo: et existens probari debet.* — Dices cum Covarruvia, loc. cit., num. 5. Jul. Claro, quibus adhærere videtur doctissimus Jacobus Wiestner, loc. cit., n. 20, post Haunoldum, loc. cit., jus asyli in spatio quadraginta vel triginta passuum sublatum esse consuetudine contraria, sicque non amplius observari posse, aut debere, arg. c. fin. de *Consuetud.* Resp. I. Cum Fagnano in c. *Ecclesiae*, h. t. n. 20. Sacram Congregationem etiam post tempora Covarruvia et Julii Clari declarasse et decrevisse immunitatem in frequenter adducto spatio quadraginta vel triginta passuum indistincte servari, consequenter tacite insinuasse, usu ac consuetudine immunitatem in tali spatio passim non esse sublatam, uti præfati opinabantur doctores. Resp. II, consuetudinem hanc non præsumi, sed debere probari; cum sit facti, quod regulariter non præsumitur, sed probatione indiget per jura supra, n. 27, citata. Accedit, quod, etsi forsan, in uno, aut altero loco consuetudo vigeret contraria, exinde non sequatur, eam etiam alibi, vel universaliter vigere.

38. *Observatio practica circa reos in simili spatio existentes.* — Infertur, quod quia tum ex jure, tum communi sententia doctorum, tum ex Sacra Congregationis decretis certum, vel quasi certum sit, immunitatem asyli intra spatium quadraginta passuum ecclesiae majoris seu cathedralis, et triginta ecclesiae minoris, seu capellæ, aut sacelli de jure adhuc subsistere, judices ecclesiastici in casu loco, ubi de contraria consuetudine

legitime præscripta non constat, semper posse, ac debere illam omnimode manutene-re, ac malefactores pro viribus defendere, relinquendo potestati sæculari onus consuetudinem probandi, si quando vi illius extraditionem præterdit. Quænam autem requirantur ad probandam talem consuetudinem, habes, lib. I, tit. IV, de *Consuetud.*

39. *Cæmeterium gaudet asylo.* — II. Jus asyli competit cæmeteriis non tantum ecclesiae contiguis, sed etiam separatis ab ea, dummodo auctoritate episcopi sint erecta, et ad sepulturam fidelium deputata. Prima pars de cæmeteriis contiguis est certa apud omnes. Idque probatur ex *Rubr.* h. t. et ex c. *Cum Ecclesia*, 5. et c. fin. eod. atque ex *Synodo Romana*, ubi can. 4. ita statuitur: « Sancimus, ut in eos, qui ad ecclesiam, vel cæmeterium confugiunt, nullius manum mittere audeat, quod si fecerit, anathema sit. »

40. *Etsi separata ab ecclesia.* — De cæmeteriis separatis quoque habetur doctrina, ut videre est apud Barbosam lib. II. *Jur. Eccl. univ.* cap. III. n. 36; Tuschum *in Ecclesia* concl. 10, n. 3; Farinac. de *Immunitat.* *Eccles.* n. 264; Engel, h. t. n. 10 et alios. Probatum tum ex juribus n. præced. citatis, quæ utpote generaliter loquentia, generaliter de quovis cæmeterio etiam separato sunt intelligenda, arg. l. de *Pretio ff. de Publician. in rem act.*; tum ex eo, quod juxta dicenda infra, et specialiter juxta Bullam Gregorii XIV *Cum alias* (quam habes infra n. 82) omnia loca sacra et religiosa gaudeant jure asyli; atqui est etiam cæmeterium auctoritate episcopi erectum aut deputatum per dicta supra tit. *Religios. domib.* n. 1, et 3. ergo.

41. *Dummodo auctoritate episcopi sit erectum, quod in dubio post sepulturam præsumitur.* — Dicitur notanter « auctoritate episcopi deputatis; » quia ubi constat, cæmeterium ab ecclesia separatum, auctoritate episcopi erectum, vel pro sepultura fidelium deputatum non esse jure asyli caret, etsi in eo jam aliqui essent sepulti. Ratio est, quia hujusmodi cæmeterium non numeratur inter sacra loca, vel religiosa per dicta tit. XXXVI. de *Religios. domib.* n. 3. In dubio tamen supponitur cæmeterium, si in eo jam aliqui sepulti jacent, auctoritate episcopi deputatum, consequenter religiosum, et asylo gaudens: « Quamvis enim terra aliqua fiat sacra aut religiosa auctoritate Pontificis, non ex eo,

quod mortuus inferatur » ut ait Glossa in can. *In Ecclesiastico* 14, cau. 13, q. 2, arg. c. *Ad hæc de Religios. domib.* tamen actus sepulturæ prætextu sufficientem præbent causam et signum prudenter præsumendi cæmeterium hujusmodi auctoritate episcopi esse deputatum, ut cum aliis docet Farinac. de *Immutat. eccles.* n. 264; Navarrus in *Manual.* cap. XXV. *in Cæmeterium.* et alii.

42. *Asylo gaudet oratoria.* — III. Competit jus asyli oratoriis etiam privatis auctoritate episcopi erectis, atque ad divinum cultum deputatis, etiamsi non consecrata. Fagnanus in cit. c. *Ecclesiae*, h. t. n. 23. et ibi Abbas nu. 7; Joan. Andreas nu. 1; Ancharanus nu. 2; Sylvester *in Immunitat.* num. 1, et alii communiter. Ratio est, quæ supra, quia hujusmodi oratoria, etsi in domibus privatis existant, sunt loca religiosa, c. *Ad hæc de Religios. domib.* hæc omnia gaudent asylo, l. *Pateant. C. de His, qui ad Eccles.* et Bulla Gregorii XIV. *Cum alias* ibi: « Indistincte locis sacris, aut religiosis jus asyli » competere dicitur.

43. *Etiam in domibus privatorum, si auctoritate episcopi fuerit erecta.* — Nec obstat, quod doctores communiter dicant, et Sacra Congregatio declaraverit, capellas, aut oratoria in palatiis, aut domibus privatorum asylo non gaudere. Resp. enim cum Fagnano loc. cit. tam doctores quam etiam Sacram Congregationem intelligendos esse de oratoriis, et capellis, quæ sine auctoritate episcopi sunt erecta; qualia plura habentur in ædibus privatorum: hæc enim cum religiosa non sint, et ad usum Domini iterum ad usum profanum applicari possunt, ita, ut quod hodie est oratorium, cras sit camera juxta voluntatem Domini, asyli jure minime gaudebunt, etsi de licentia Papæ, aut episcopi sæpius in eo super portatili celebratæ fuerint Missæ, uti tenet communis, et declaravit sæpius Sacra Congregatio, uti videre est apud Fagnanum, loc. cit. et alios. Secus est de oratoriis, aut capellis in domibus privatorum auctoritate episcopi erectis, et ad cultum divinum deputatis; hæc siquidem quia vere sunt loca religiosa, nec amplius ad usum profanos applicari possunt, c. *Ad hæc. 4. de Religios. domib.* ac insuper jurisdictioni et visitationi episcopi sint subjecta, non minus gaudebunt asylo, ac oratoria publica episcopi auctoritate erecta.

44. Infertur proin contra Barbosam, lib. II. *Jur. Eccl. univ.* cap. III. n. 68. ubi etiam

citatur Abbas, et Joan. Andreæ, qui tamen contrarium docent, in judicando, an oratorium aliquod gaudent asyli jure, non esse attendendum, an publicum sit, vel in domo privatorum, sed an auctoritate episcopi sit erectum necne; ita ut omne illud gaudeat hoc jure, quod dicta auctoritate reperitur erectum, illud autem eodem careat, quod absque præfata auctoritate existit erectum, sive dein publicum sit, sive in domo privatorum, cum non locus publicus, sed auctoritas episcopi reddat oratorium religiosum, religiositas autem tribuat jus asyli per dicta.

45. *Monasteria, et omnia loca intra ejus septa.* — IV. Idem asyli jus competit omnibus monasteriis, et conventibus religiosorum, eorumque domibus, et habitationibus religiosis auctoritate episcopi erectis. Fagnanus, in c. *Ecclesiae*, n. 28; Barbosa, lib. II. *Jur. Eccl. univ.* cap. III. n. 72; Layman, lib. IV. tract. IX, cap. III. n. 9; Lezana, *in Immunitat.* n. 3; Sylvester, *in Immunitat.* cum communi, et certa aliorum, arg. can. *Quisquis* 21, in fine, cau. 17, q. 4. l. *Omnia privilegia. C. de Episc. et cleric.* et Bulla Gregorii XIV ibi: « Monasteriis, domibus, locisque sacris, aut religiosis » ubi monasterii nomine veniunt non tantum interiora monasterii claustra, cellæ, ac habitacula, sed etiam ejusdem hortus, area, domus familiarum, stabula animalium, officinæ, cunctaque alia loca, quæ intra monasterii septa continentur. Barbosa, loc. cit.; Lezana, loc. cit.; Rambeck, disp. 4, cap. IV, n. 19; Portel. in *Dubiis regul. in Immunitat.* et alii communiter, arg. l. *Pateant. C. de His, qui ad Eccles. confug.* ibi: « Nec sola altaria et oratorium, etc. sed quidquid fuerit interjacens, sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus confugas interioris templi vice tueatur, » et can. *Id constitutumus.* cau. 17, q. 4. atque Bulla Gregorii XIV. Ratio est, tum quia etiam hæc loca juxta communem in favorabilibus veniunt nomine monasterii, et religiosa sunt, cum quæ religiosis adhærant, religiosa sint, l. 43. ff. de *Rei. vindic.* Accedit ubique recepta « consuetudo, optima legum interpret, » c. 8. de *Consuetud.* et l. 37. ff. de *Legib.*

46. *Non item loca extra septa asylo gaudent.* — Extendunt aliqui, ut Roderiquez, Diana, et alii hoc privilegium etiam ad domos, villas, et hospitia a monasteriis sepa-

rata, et quæ solius recreationis, vel œconomiae causa, aut pro recipiendis hospitibus habentur. Verum contrarium est probabilius, ut docet Barbosa loc. cit. n. 76. citans Gambacurt. et Trullench. Ratio est, quia hæc loca, nulla ratione religiosa sunt, cum nec religiosi locis adhæreant, ut supponitur, nec auctoritate episcopi erecta sint, utpote quæ auctoritate privata jam constructa emanant, vel donatione legative accipiuntur, aut propria auctoritate absque requisito consensu episcopi construuntur, prout omnino fieri potest, juxta dicta tit. de *Ædificand. Eccles.* Pariter asylo non gaudet exterior circuitus monasterii (bene tamen ecclesie religiosorum) per triginta passus, eo quod jura solius ecclesie, et non monasterium circuiti triginta passuum jus asyli dederint, can. *Sicut antiquitus*. cau. 17. q. 4.

47. *Omnia loca religiosa, ut hospitalia, nosocomia, etc., gaudent asylo.* — V. Jus asyli universaliter competit omnibus, et singulis locis piis ad charitatis, misericordie, religionis, etc. opera, aliumve pium usum destinatis locis auctoritate episcopi erectis, consequenter religiosi, qualia sunt xenodochia pro pauperibus peregrinis, nosocomia pro infirmis, orphanotrophia pro educandis pueris et puellis, hospitalia, seu valetudinaria pro senibus, et debilibus, et alia hujusmodi. Barbosa, loc. cit. n. 67; Abbas, in c. *Ecclesie*. h. t. n. 6. et ibi Fagnanus, n. 27; Layman, lib. IV. tract. IX. cap. III. n. 3; Rambeck, loc. cit. et communis aliorum. Ratio est, quia hujusmodi loca auctoritate episcopi erecta, sunt vere loca religiosa, arg. c. *Ad hæc. de Religios. domib.* et amplius habes supra tit. XXXVI. de *Religios. domib.* n. 2. et 5. atqui cuncta loca religiosa gaudent jure asyli, ut sæpe jam dictum, ac præter alia jura, clare patet ex novissima Bulla Gregorii XIV. *Cum alias*: ibi: « Locisque sacris aut religiosi. » Accedit, quod privilegia ecclesiis concessa, etiam dictis locis concessa intelligantur, l. *Omnia. C. de Episcop. et cleric.*

48. *Fugientes ad sanctissimum Eucharistie sacramentum, dum portatur ad infirmum, gaudent asylo.* — VI. Competit etiam jus asyli reis confugientibus ad Sanctissimum Eucharistie sacramentum, quod portatur ad ægrotum, vel inde reportatur, aut in processione circumfertur. Barbosa, loc. cit. n. 69; Abbas, in c. *Sane de Celebrat. Miss.*; Engel, h. t. n. 12; Layman, loc. cit. n. 4; Sylvester, §. *Immunitas*. n. 1. cum communi aliorum con-

tra Covarruviam, loc. cit. n. 6. citantem pro se Glossam in can. *Quæsitum*. cau. 13. q. 2. §. *In Patibulis*. Ratio est, tum quia præsentia Christi sub speciebus sacramentalibus pro tempore videtur facere locum sacrum, ac religiosum; si enim, ut bene argumentatur Delbene: « Ubi Papa, ibi Roma. Cur non ubi præsens Corpus Christi, ibi etiam locus sacer, aut religiosus? » tum quia indecens videtur, quod, cum de jure civili, illi jure asyli gaudeant, qui confugiunt ad statuas principis. L. un. C. de *his, qui ad statuas confug.* isti tali jure privati sint, qui ad Regem regum, ac Dominum cœli et terræ confugiunt. Accedit declaratio Sacræ Congregationis edita in Melitensi 28 maii, 1626. apud Jacob. Pignatell. tom. VI, consult. 4, n. 80, illis verbis: « Carceratus sequens, et manu tenens fimbriam vestis Sacerdotis redeuntis ad Ecclesiam cum Sanctissimo Eucharistie sacramento, gaudet immunitate. »

49. *Etsi tantum se associant comitantibus.* — Imo non tantum tangens vestem sacerdotis portantem Sanctissimum Eucharistie sacramentum, sed etiam associans se processioni, aut illis, qui Sanctissimum Eucharistie sacramentum comitantur gaudent immunitate. Barbosa, loc. cit. n. 69; Engel, loc. cit.; Diana, part. I, tract. I, resolut. 28. et alii satis communiter: tum ob dicta n. præced.; tum quia associati illi, aut comitantes omnes una cum sacerdote constituunt unam ecclesiam vivam, arg. l. *Ad Jul. majest.* Accedit rursus, et doctrinam certam reddit declaratio Sacræ Congregationis apud Jacob. Pignatell, loc. cit., nu. 90, illis verbis: « Associans se ad processionem Sanctissimi sacramenti gaudet immunitate, 30 septembris 1636. »

50. *Limitatur in reo, ad quem in carcerem portatur Sacratissima Eucharistia. Recipiens eucharistiam, ex eo non gaudet asylo, nec fugiens ad oleum sacrum.* — Limitatur tamen doctrina in casu, quo portatur Sanctissimum Eucharistie sacramentum ad reum in carcere detentum; hunc enim asylo non gaudere, etsi tangat vestes sacerdotis sanctissimum Sacramentum portantis tenent teste Covarruvia, loc. cit. Omnes. Quibus accedit « consuetudo optima legum interpretis, » c. 8. de *Consuetud.* Pariter asylo non gaudet quis ex eo, quod in sacra communione sumat, et in se retineat sanctissimum Sacramentum; ut habet communis, et confirmat consuetudo recepta. Ratio est, quia Eucharistia non sumitur, ut ab aliis in eo, qui

sumpsit colatur, sed ut sumens illud spiritali animæ cibo reficiatur. Minus asylo gaudet fugiens ad sacerdotem, dum sanctum oleum portat ad infirmos, Barbosa, loc. cit.; Sperel. decis. 49, n. 4. et communis, eo quod huic neque jus, neque paritas rationis, nec consuetudo faveat.

51. *Domus episcopi gaudet asylo.* — VII. Jus asyli competit etiam palatio seu domui episcopi. Barbosa, loc. cit., n. 70; Sylvester, §. *Immunitas*. 3. n. 1. Fagnanus, in c. *Ecclesie*. h. t. n. 29; Layman, lib. IV, tract. IX, cap. III. n. 3. cum Glossa communiter recepta in can. *Id constituimus*. 36. cau. 17. q. 4. ubi etiam textus expressus habetur illis verbis: « Id constituimus, ut a domo episcopi reos abstrahere omnino non liceat. »

52. *Etsi non existat intra quadraginta passus ecclesie cathedralis.* — Idque procedit non tantum in casu, quo dictum palatium intra quadraginta passus ab ecclesia cathedrali existit, in quo ferme omnes conveniunt, sed etiam, si longius distet. Abbas in c. *Ecclesie*. h. t. n. 9. et ibi Fagnanus, n. 29; Castro Palao, tract. XI. Disp. un. punc. 6. n. 20; Barbosa, loc. cit.; Navarrus in *Manuali*, cap. xxv. n. 18; Innocentius et Hostiensis in c. *Inter alia*. h. t.; Covarruvias, loc. cit. n. 5; Sylvester, loc. cit.; Layman, loc. cit. n. 4. cum Glossa communiter recepta in cit. can. *Id constituimus*. cau. 17. q. 4. §. *Vel domo*. contra nonnullos a Barbosa citatos, arg. cit. can. *Id constituimus*. ubi uti ex textu patet, legislator generaliter ac indistincte loquitur; ergo etiam indistincte de quovis episcopi palatio, sive intra, sive extra quadraginta passus existente, est intelligendus, arg. l. *de Pretio ff. de Publician. in rem act.* Ratio est, quia si solum palatium, intra, et non extra quadraginta passus existens haberet jus asyli, eidem nihil speciale a reliquis domibus clericorum competeret, cum et his, si intra quadraginta passus existunt, idem privilegium competat juxta dicta superius arg. can. *Quisquis*. 21. cau. 17. q. 4. et bene observat cum Hostiensi Fagnanus, loc. cit. Confirmatur ex eo, quod palatium episcopi veniat etiam inter bona religiosa, cum pœnæ ac eleemosynæ religiosis locis sit destinata, etiam pro fabrica palatii episcopalis applicari valeant, ut cum communi docet Delbene, de *Immunitate*, cap. xvi, dub. 9, § 14. n. 18. Quibus accedit, quod in dubio semper favendum sit immunitati, Barbosa, loc. cit. n. 69; Sperel. decis. 160, n. 13;

Decian. consil. 80, n. 22, et magis dicitur infra.

53. *Quid de domibus cardinalium.* — VIII. Competit jus asyli palatiis cardinalium etiam illorum, qui non sunt episcopi. Barbosa, loc. cit., n. 71; Fagnanus, loc. cit. n. 32, et alii communiter: quod licet jure probari nequeat, cum nullibi reperitur textus, et de cætero cardinalium palatia inter loca religiosa non veniant: privilegio tamen, vel consuetudine jus asyli eis competere potius supponant, quam probent doctores: quamvis practici Romani etiam illud testentur, privilegium hoc, vel consuetudinem, si quæ fuit, in Urbe Romana non amplius procedere, sed esse sublatum. Fagnanus, loc. cit. n. 33; Tuschus, §. *Ecclesia*. concl. 9, n. 12. Pax Jordan. *Lucubrat.* lib. II, tit. III, n. 206, ubi testatur delinquentes ex cardinalium domibus ad carceres et supplicia fuisse abstractos, idque, ne ob asylorum nimiam frequentiam delinquentes passim manerent impuniti cum gravi boni publici jactura. (ADNOTATIO LVIII.)

§ III.

DE PERSONIS, QUÆ GAUDENT JURE ASYLI.

Experientia constat, varios ad asyla confugere reos, seu malefactores, tam laicos, quam clericos; tam viros, quam feminas; tam catholicos, quam hæreticos, imo ipsos etiam judæos, paganos, ac infideles. Hinc quæstio ac controversia est, an omnes hi gaudeant asylo?

54. *Catholici laici omnes utriusque sexus gaudent asylo.* — Quæritur I. An laici catholici omnes gaudeant jure asyli? Resp. I. hos omnes et singulos (nisi habeant crimen exceptum, de quo paragrapho sequenti) cujuscunque ætatis, sexus status aut conditionis sint, gaudere jure asyli. Ita certa et communis, arg. c. *Inter alia*. 6, h. t., et Bulla Gregorii XIV, *Cum alias*, quæ Bulla expresse de *Laicis*, et quidem de iisdem indistincte, ac generaliter loquitur, ibi: « Laicis ad ecclesias confugientibus; » ergo etiam generaliter ac indistincte de omnibus saltem catholicis (utpote de quibus nulla est controversia) intelligi debet: « cum ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus, » l. *de Pretio. ff. de Publician. in rem act.* et « verba generalia generaliter sint intelligenda, » c. *Quia circa* 22. de *privileg. Pa-*